

**Christus versus Phoenix. : Carmen heroicum
cum sapphico et elegiaco continens beneficia
salvatoris et redemptoris nostri.**

Pragae
1593

EOD – Millions of books just a mouse click away! In more than 10 European countries!



Thank you for choosing EOD!

European libraries are hosting millions of books from the 15th to the 20th century. All these books have now become available as eBooks – just a mouse click away. Search the online catalogue of a library from the eBooks on Demand (EOD) network and order the book as an eBook from all over the world – 24 hours a day, 7 days a week. The book will be digitised and made accessible to you as an eBook.

Enjoy your EOD eBook!

- Get the look and feel of the original book!
- Use your standard software to read the eBook on-screen, zoom in to the image or just simply navigate through the book
- *Search & Find:* Use the full-text search of individual terms*
- *Copy & Paste Text and Images:* Copy images and parts of the text to other applications (e.g. word processor)*

* Not available in every eBook.

Terms and Conditions

With the usage of the EOD service, you accept the Terms and Conditions provided by the library owning the book.

- Terms and Conditions: <http://books2ebooks.eu/odm/html/nls/en/agb.html>

More eBooks

Already more than 30 libraries in over 12 European countries offer this service.

Search books available for this service: <http://search.books2ebooks.eu>

More information is available at <http://books2ebooks.eu>

Christus verus Phoenix.
Se necat ut vivat se tamen ipse creat.

Lib.
My lat
Br.

CARMEN HEROI-
CVM CVM SAPPHICO
ET ELEGIACO CONTINENS
BENEFICIA SALVATORIS ET
Redemptoris nostri.

Psal. 101.

Similis factus sum pellicano solitudinis &c



PRAGÆ, Exprimebat Georgius Daczenus,
Anno Domini, M. D. XCIII.

Christus verus Phœnix.
Se necat ut vivat se tamen ipse creat.

Iam nova temperies redit aëris, horrida cessit
Bruma, nives fugere suis jam gramina campis
Arboribusq; comæ redeunt quibus acris honorem.
Nuper hyems latè decusserat, inclyta veris
Gratia jam floris producit nobile germen.
Atq; novum volucres modulantur in aëre carmen
Et rident passim sata leta boumq; labores.
Namq; triumphanti Christo nunc undiq; tellus
Congaudet, gratatur ei mare, Sydus, Olympus
Ergo alij pugnas hominum mortaliaq; arma
Heroo studeant alacres contexere versu.

Me vero Divos immortalesq; triumphos
Concinuisse decet, faveas mihi ducis **JESU**
Prælia componam, quæ tu clarissime Victor
Atq; triumphator mortis Cacodæmonis Orci
Pro nobis miseris subiisti sponte volensq;.

Christus ut in duro posuisset stipite vitam
Sulphurei tendit gressus Acherontis ad undas
Antrum immane petens ubi squalet regia Ditis
Ostiaq; ignivomi nigrant Acherontia regni:
Hæc reserata ubi jam fuerant mox rector Averni
Clamendo affatur socios ac talibus infit:
Huc agite unanimi coniungite robore vires

Onostrò

O nostri regni cives ferte arma potentes
Ferte arma, arma citò, date tela, occludite postes
Nam novus heñ nostris succedit sedibus hospes
Arma invicta tenens invictus Et ipse Redemptor
Humani generis Mundi melioris origo,
His dictis animata cohors coit omnis in unum
Ad portas stipata armis pugnare parata
Bellica Et emittunt strepitu tormenta sonoro
Sydereo at nihil hi valuere resistere regi
Nam Christus Dominus valido cum verbere portas
Impulit ipse manu postesq; à cardine vellit
Cujus ad horrendum sonitum intonuere paludes
Tartarea tremuere nigri sub gurgite manes,
Et saxos gemitus, ploratusq; ore dederunt,
Et sic magnanimus dextra bellator a verni
Limina confregit simul arcta repagula rupit,
Fit via vi patres duro qui carcere clausi
Letantur, lemuresq; dolent ac Lucifer antro
Horridus ore fremit, spiratq; è faucibus ignem
Infandum horrendè, tum cetera turba cohortis,
Dira Acherontea sese igni sulphureq; armant
Adversus Dominum, Dominus sed victor in ipsos
Irruit infernos catus, mox turba Charontum
Sensit se victam certatq; excedere pugna.
Mox Christus veniens veterū ad penetralia Vatum
Laxat claustra manu mandatq; exire tenebris,

Illi ubi viderunt Dominumq; Deumq; venire
Letitia ac summo quoq; persunduntur amore.
Hasq; dedere alacres jucundo pectore voces
Salve Christe Deus, salve exspectate Redemptor
O lux credentum spesq; o aeterna salusq;
Venisti tandem nec nos sententia lussit,
Ah dilecte Deus quam vulnera multa tulisti?
Corpore quot sancto plagas? quot verbera? sanctam
Quis tibi feda vit faciem, vultumq; serenum:
Quid sibi quinque volunt crudelia vulnera puris
In manibus pedibusq; tuis, Rex optime Christe
Quare pectus hiat? cur spineaserta coronant
Tam caput excelsum, sis o ter maxime Victor
Tempore perpetuo benedictus O omnibus horis
Hisce salutarunt patres pia numina Christum
Christus at eripuit captos O vincula solvit
Constituitq; illos jucundo in munere lucis,
Tertia Phœbæ lustrabat lampade terras
Aurora atq; polo noctis dimoverat umbram
En redivivus ab hinc multis est visus ejdem
Qui confidebant titubanti at pectore, namq;
Hunc fore perpetuo mansurum in morte putabant
Cui pater aternus virtutem cœlitus acri
Victori infudit redivivus ut iret ad astra.

Et veluti (minimis modò si conferre licebit
Maxima) quadrupedum princeps Leo pectore forti
Dum

Dum catulos genitrix quos est enixa dolore
Anxifero, similes morienti cernit, ab ætæ
Si tenebris hominum generi lux tertia fulget
Horrissonum clamorem ad cœli sidera tollit
Hinc sylva cava saxa gemunt cœlum omne remugit
Hinc quoq; progenies tanto permota parentis
Grandisono clamore aperit sua lumina vivens.

Sic tenebris pulsus postquam lux tertia fulsit,
Terrigenis postquam victricia signa potitus
Denece bellator? spolijs Acherontis onustus
Evadens secum multos evexit ad auras
Fortunatorum nemorum sedesq; beatas.
Ergo salvifico qui gaudet nomine Christi
Huc ades hæc quia parta tibi sunt commoda vita
Hostes namq; tui quorum tu compede victus
Semper eras Christi victi sunt ecce cathenis
Prima tenet Sathanas prima est nam causa doloris
Mors sequitur, labefacta trahens vix membra pu-
Præ nimio post hos peccatum lumina versus (dore
Declinans terram spolia atq; hinc cuncta feruntur,
Nunc age tolle moras victori obtanta trophæa
Latitæ resonare melos sic incipe mecum.

Laus honor imperium victoria lata triumphus
Nos exemisti pie Christe à Dæmone morte
Peccato & cunctis nobis quæ infensa fuere
Hæc tibi laus maneat cuncta ad venientia secla

Christus verus Pellicanus.

Salve Rex Regum cœli terraq; Monarcha,
Ex pura verus virgine natus homo.
Salve qui roseo sacraſti ſanguine potum,
Omnia qui ſuperat pocula fœda meri.
Salve qui cunctis donas alimenta ſalutis:
Corporis ætherei fercula ſancta tui.
Quæ miſeris præbent mentis ſolatia cunctis,
Et ſummi donant gaudia celfa patris.
Noſtraq; perpetuo conjungunt pectore amore
Chriſto, quem nihilum diſſociare poteſt
Quid melius tanto potuit dare munere Chriſtus
Dignius hic totus, quo nihil orbis habet.
Poſidet hoc quidquid mundus complectitur amplius
Sydereus quidquid continet ipſe polus
Cum quo contuleris quidquid conferre placebit
Nil tu invenies quod ſuperare queat.
Non mundus poterit carniſq; effrena voluptas,
Non nitidæ gemmæ quas tenet unda maris.
Non aurum fulvum Tagus & Schityciq; Lapilli
Non fragrans Nardus, Balsama odorifera.
Quare pro tanto tibi ſit Rex munere cœli
A nobis miſeris laus honor atq; decus.

SAPPHI.

SAPPHICVM.

O Deus tu dux simul ac Redemptor
Omnium, summa astra tenens regensq; :

T e precor supplex tua nos per alma

Vulnera salva;

Fac ut ô Dux summe tibi placentem

Transigamus vitam, etiam omne crimen

Aufer, ut fido tibi munus unâ

Corde feramus.

Fac ut à nobis vitiosa mens sit,

Hora cum tristis stimulansq; mortis

Venerit, tunc nos rege Christe summe

Flamine sancto.

O DEVS vitæ, bona spes salutis,

Fac tuæ nos participesq; mortis :

Nos decet cunctos tibi ferre grato

Pectore grates.

G. B.



www.books2ebooks.eu